

DISPUTATIO
DE FACULTATE
MEDICAMENTORVM
PVRGANTIVM.

In qua doctrina Hippocratis & Galeni confirmatur, & contra Philosophos & Medicos clarissimos Iacobum Schegkium & Thomam Erastum defenditur.

Proposita ab
ADAMO LVCHTENIO, PHIL.
ET MED. D. ET PHYSIOLOGIAE IN
Academia IVLIA professore
publico.

Ad quam respondebit publicè
M. SAMVEL SATLERVS.

*Habebitur disputatio 16. die Aprilis hora septima
in auditorio publico.*

HELMAESTAD I,
Ex officina Iacobi Lucij, Anno 1606.

REVERENDIS, GENEROSIS, NOBILISSIMIS
amplissimis, prudentissimisq; Ordinibus ac proceribus
totius Brunsvicensis ducatus.

Dominis meis omni subiectione observandis.

Annus abhinc agitur trigesimus octavus Reuerendi, Generosi, Amplissi-
miq; Domini, quo parens meus ex patrio solo VVirtembergico hasce in-
oras Brunsvigias, vt fundamenta reformatarum Ecclesiarum ac scho-
larum recens iacta suo etiam conatu nonnihil firmaret, auocatus fuit:
Cuius quidem primo conamini obstetit partim iuuenilis ipsius aetas, partim male-
uolorum (vt fieri solet) inuidia ac liuor donec tandē & etate & gratia apud De-
um & homines confirmatior factus, partim propria virtute, partim aliorum gra-
tia & fauore Ecclesiasticis & scholasticis muneribus proficeretur. Hanc Spartam
an satis ornauerit parens, non est filij diiudicare, hoc vnum testari liceat, eum
nunquam à laboribus & demandato munere vacasse, aut quicquam eorum, que
ad Ecclesiarum & scholarū vsum & edificationem facerent remisisse, donec tan-
dem etate senili, curis & laboribus plena, propemodū confectus cogitaret suam in-
dustriam & conatum etiam posteritati sua probare. Hac ratione motus parens,
vt primis statim annis in doctrina celesti educarer atq; erudirer, voluit: Verum
quia non ex quouis vt dicitur ligno fit Mercurius, spe quidem hac in parte deci-
pitur, non tamen in totum frustratur: Cum enim non longē inferior sit conditio ei-
us, qui bene constituti corporis, quam qui ipsius anima curam gerit, propterea n.
Orandum est vt sit mens sana in corpore sano, natura autem facultatem
mihi negaret diuinam illam anime partis nobilissime doctrinam, onus grauissi-
mū in me suscipere, insita quadam propensione & patris auctoritate confirmatus,
corporis curationem addiscendam ac tractandam sumpsi, in qua si quid viribus
meis, quas sentio quā sint exigua, consecutus fuero, quo inseruire aliquando &
prodesse communi patrie possem, laetabor. Verum ne more Methodicorū, qui vt te-
statur Gal. lib. de sect. vniuersam Medicinā sex mensibus celerrimē addisci posse
gloriabuntur, medicina umbras captare euanidas viderer, hanc disputationem
de purgantibus medicamentis ex fontibus Medicina desumptam publicē pro vi-
ribus defendendam suscepi, eamq; vobis Ordines amplissimi dicare ac offerre vo-
lui, tum ob illustrem splendorem, qui qualicunq; huic scripto plurimum lucis af-
ferre potest, tum ob egregiam vestram erga literas literatosq; beneficentiā & fa-
uorem. Debui etiam ob vestra innumera in me beneficia, quibus cū vinculo vo-
bis obstringor. Accipite ergo Reuerendi, Nobilissimi, Amplissimiq; Domini
hunc Embryonem (nam fetum perfectum non dixerō) qui fortuna ante orna-
tior & perfectior aliquando prodibit, placida ac benignā fronte, meq; vestro pa-
trocinio ac gratia fūere nunquam intermittite. Valet. Ex Academia Iulia pri-
die Nonar. Aprilis Anni M. D. CVI.

V. Subiectis.

Samuel Satlerus.



THESIS I.



Nter reliquas medicamentorum facultates, quibus illa in corpus nostrum agunt, percelebris & ab omnibus decantata etiam illa recensetur, qua corpus à molesta, & noxia humorum illuue liberatur, & expurgatur. Unde medicamenta ipsa purgantia communiter appellari consueuerunt.

2. Horum tres potissimum differentia constitui solent. Alia enim emolliendo & lubricando materiam, & vias præparant, vt naturæ excernenti facilius obsequantur. Alia astrictione euacuant: compressæ enim intestini parte superiore: quicquid inferius continetur, deorsum ad exitum propellitur. Vtrumq; hoc genus promiscuè quamlibet materiam educit. Tertium verò genus ea complectitur, quæ non quemuis, sed peculiarem tantum humorem educunt, quæ electiuè purgantia ob id dicuntur, quod eum, quem eductura sunt humore, quasi eligere ex reliqua multitudine videantur.
3. Priora duo genera quomodo egerant, neq; obscurum, neq; cuiquam dubium est. De tertio genere summa est contentio.
4. Asclepiades statuebat medicamentum hoc modo purgans, non alia vi humorem quemlibet educere, quam transmutando eundem in suam naturam: qualem enim medicamentum quodq; naturam habeat, in eandem transmutari omnes quotquot contigerit humores, qui postmodum naturam irritantes, expellantur.
5. Quæ opinio imprimis ridicula & inepta est, perinde enim factum videtur, ac si quis sibi vulnus infligat, vt habeat,

...ROSIS, NOB
...SIMI
...bus
...Amplij
...ico hafa in
...em ac flo
...ocatus fuit
...rimpradi
...a apud Do
...iorum gra
...ve Spartia
...set, con
...erans, que
...doec to
...et fiamis
...dui parent
...i: Verum
...vate dei
...re videt
...suerunt
...laxem
...ampli
...matius,
...a rivilus
...re quadi &
...a, qui te to
...adisso pofe
...atationem
...altee pro vi
...offere v
...am locu d
...entia & fa
...vicalu re
...ig. Domic
...ante tra
...veftra p
...a Julia p
...s.
...Saturns

quod curet: aut corpus collutulet, ut habeat, quod purget. Nam si non alios, quam quos generat medicamentum, humores educet, non alia liberabit corpus noxa, præterquam ea, quam intulit. Ac proinde ad tollendam causam morificam, cuius gratia medicamenta bibuntur, nullam vim habebit.

6. Deinde hac ratione omnes educi humores vno & eodem medicamento poterunt, & tam utiles quam inutiles, quorum illud experientia, hoc naturæ providentia non admittit: Natura enim in reiiciendis noxijs, & conseruandis, retinendisq; utilibus, occupata est.

7. Addo etiam si noxium tantum humorem, hausto medicamento euacuari ponamus, ab omni tamen ratione abhorre videtur, naturam eum tantum humorem, qui à medicamento, non verò illum, qui intra corpus à causa quadam interna productus sit, amoliri. Mirum enim profectò sit, Naturam hydropici aquam non conari, aut posse eijcere, nisi prius à pharmaco, exempli gratia, in bilem fuerit conuersa: aut Ictericæ bilem, nisi ante ab hydragogis in aquam transmutata sit. Vix enim cogitando assequi licet, quare humor à medicamento genitus, naturam ad excernendum stimulet, ab aliâ causâ genitus non stimulet.

8. Non multò melior hac est Erasistrati, & eorum opinio, qui statuebant, medicamenta purgantia ducere omnes humores, sed tenuiores primùm, mediocres post hos, demùm crassiores. Ac proinde medicamentum cuius vis purgandi debilis est, & citò evanescit, tenuiora tantum deijcere, subsistentibus reliquis: cuius vis fortior & durabilior, etiam crassiora detrahere: Idem etiam posse purgationem, quod venæ sectio, quæ omnes humores æqualiter elicit.

9. Verùm, hac ratione primùm quæstioni non satisfit: Quæritur enim qua vi medicamenta purgantia, purgent: hic tantum

tantum ordo exeuntium describitur, & quantum quodque pro modo virium educat, quæ vis verò ad exeundum humorem incitet, hinc non liquet. Quocirca, si quoduis, cuiusvis generis medicamentum, isto modo diceremus corpus, quasi ratione vacui, indifferenter expurgare, eam sententiam quodammodo ratione tueri posse videremur. Verùm, cum experientia reclamet, & certis tantum medicamentis, certorum humorum educationem fieri, exploratum sit, vim quandam peculiarem istis inesse, qua id præstent, necessum est.

10. Deinde sequeretur, ut docet Gal. lib. de purgantium medicamentorum facul. cap. 3. Ea medicamenta, quæ atram bilem exturbant, quia fortissima sint, & humor crassissimus, oportere copiosissimas euacuationes efficere, cum, antequam crassus humor exeat, secundum *ἡρόδοτος* tenuiores prius exire, necessum sit. Sed sensuum fide constat Melanagoga parcissimè purgare, cum is humor in minore quantitate, quam reliqui, sit in corpore.

11. Præterea, non videtur hinc ratio reddi posse, quare, quod docent, ad fortia medicamenta, & tenuia & crassa sequantur, ad debilia, tenuia tantum. Si enim ratione vacui, & non vi aliqua peculiari educio fit, necessum est, educto propiore, à quocunq; tandem medicamento educatur, dummodo loco cedat, statim alium subsequi. Ac proinde tam à debili, quam à forti medicamento, omnes humores educi.

12. Demum experientia testatur, primùm non tenuia, sed crassa exire, deinde subsequi tenuia & serosa.

13. Conuenientia etiam cum phlebotomia nulla est. Nam secta vena nemini dubium est cur sanguis exeat (rupto enim vase, liquor retineri non potest, sed effluit) hausto verò medicamento, quare humores proximi loco moueantur, & educantur, de quo quæritur, non liquet.

14. Hippocrates igitur statuit, inesse medicamentis purgantibus

gantibus, vim quandam peculiarem, (quam Galenus nihil referre ait, siue *Πρωτακινω*, siue *ελκικω*, siue *ελκυσικω* *δυσιαμι* vocemus) qua singula, quæq; quod secundum naturam maximè est trahant. Quemadmodum enim stirpes, & semina terræ mandata, & partes corporis diuersæ, trahunt singulæ, pro sua quæq; natura, familiarem & conuenientem succum: ita medicamenta, singulari aliqua virtute trahere, alia quidem pituitam, alia bilem flauam, alia nigram. Ad eum ferè modum, quo Magnes ferrum trahit.

15. Quanam verò, & quid ista virtus sit, id demum est, quod & quærentibus difficultatem facit, & propemodum ipsam tractionem quibusdam suspectam reddit.

16. Mesueus dicit, esse facultatem coelitus infusam. Auerroës totam substantiam, & formam specificam. Galenus, & cum eo pleriq; Medici, tractionem hanc fieri statuit, à similitudine, & familiaritate substantiæ: item à tota substantia, & à substantiæ proprietate.

17. Hinc multi sibi persuaderi patiuntur, virtutem purgatricem, atq; adeo omnes rei proprietates, esse ipsas rerum formas, à quibus ea actio, immediatè profluat. Quæ in re valdè decipiuntur. Nam, primò, nulla est actio substantiarum sine qualitatibus, vt testatur Scaliger Exercit. III. & tanquã pro confesso, & ab omnibus concesso, assumit Franciscus Toletus, lib. 2. de generatione & corruptione quæst. 1. Deinde oporteret vnus rei, vt vna forma est, ita vnam quoq; proprietatem esse, & ab vno medicamento, vnum tantum humorem educi, cum tamen manifestum sit, vnus rei esse plures proprietates, & plures humores ab eodem medicamento trahi.

18. Et perperam illi sanè tum Mesueum tum Auerroëm tum Galenum interpretantur. Nam primùm, quod Mesueum attinet, ipsius interpres, per facultatem coelitus infusam, occul-

occultam quandam qualitatem intelligit, quod & paulò post, ex ipso Mesuei textu canonum vniuersalium videtur colligi posse.

19. Auerroës, tantum abest vt hoc statuat, quod illi volunt, vt planè contrarium asserat. Nam lib. 5. colliget, cap. 21. statuit eam proportionem & conuenientiam, quæ est inter trahens & tractum, non esse nisi in mensuris mixtionis elementorum. Et postea addit: hæc operatio est quasi accidens in ipsis virtutibus elementorum, quæ sunt infusæ in re, quæ habet hanc proprietatem, & non insunt substantialiter.

20. Galenum ipsam substantiam & rei formam non intellexisse, vel ipsa loquendi formula arguit. Nam proprietatem, familiaritatem & similitudinem, vel substantiæ, vel totius substantiæ (vtròq; enim modo loquitur) cum dicit, non necessum est, ipsam rei formam & substantiam accipere, cum ista omnia, & quidem multò potius, etiam in accidentibus possint consistere.

21. Præterea Galenus lib. 3. Simpl. Medic. cap. 25. distinguens inter similitudinem, & identitatem rei dicit: differunt enim idem & simile: Nam pituita pituitæ eadem est, & Cnicus cnicus: Cnicus autem pituitæ similis. Ex quibus verbis manifestè colligi potest, Galenum voluisse, in alio quopiam, quàm in ipsâ rei formâ, & substantiâ, similitudinem consistere. Alioquin enim non cnicum pituitæ, sed cnicum cnicus, & pituitam pituitæ, quorum eadem forma & substantia est, similem dixisset. Nam si per similitudinem substantiæ ipsa rei forma intelligatur, cnicus pituitæ nunquam poterit esse similis.

22. Quinimò ipse Galenus multis in locis suam sententiam satis perspicuè explicat. Nam lib. 3. Simpl. Med. cap. 5. amicitias pugnantiasq; medicamentorum, proprietate aliquâ agentium, in qualitatibus constituit, & statim subiungit familia-

familiaritates illas à totius substantiæ proprietate oriri. cap. 25. eiusdem libri qualitatum familiaritatem, & substantiæ similitudinem pro vno & eodem sumit. lib. 5. Simpl. Med. cap. 17. etiã apertius mentem suam explicat: sed & aliud est, inquit, attrahentium genus medicamentorum, quod qualitatis familiaritate attrahit, id quod aliud est nihil, quàm totius essentiæ similitudine. Item cap. seq. eadem quib. substantiæ similitudinem, vel dissimilitudinem attribuerat, temperie similia medicamenta, vel aduersa dicit. Ex quibus omnibus meridiana luce clarius Galeni mens perspicui potest. Nec est, quod se quisquam ex loquendi formulâ malè intellectâ, in errorem duci patiatur.

23. Statuendum igitur est facultatem purgatricem, nihil aliud esse, quàm qualitatem quandam, natam ex elementorum certâ & peculiari proportione, siue mixtionis proprietate. Hanc Auerroës mensuram mixtionis elementorum vocat, quam, cum impossibile sit scire, per arbitrium, vt ipse loquitur, etiã ipsam qualitatem probè perfecteq; nosse est impossibile. Ideoq; meritò qualitas hæc occulta, siue vt aliis placet, indicibilis, & inexplicabilis dicitur, quæ ex effectu tantùm multiplici experienciâ cognoscitur. Aristoteli etiã eleganti ratione facultas medicamentosa appellatur.

24. Vnde mirari subit, quod Franciscus Valefius lib. 9. Controu. cap. 1. eos qui ad occultam qualitatem hæc confugiunt, reprehendit, & ignorantia accusat, cum ipse hæc potius reprehensionem mereatur, & arrogantia sit accusandus, qui id se scire profiteatur, q̄ maximè ignorat. Nam, quam ipse tractionis causam adducit similitudinem, ea nulla est, & petit principium. Quæritur enim porrò quâ in re similitudo illa consistat.

25. Etenim, cum similitudo sit relatio, & entitatem valde debilem habeat, ita vt subsistere non possit, nisi funda-
mento

mento alicui innitatur, ex se etiam *ἐνέργειαν* nullam habebit, sed quæcunq; fuerit operatio, illa fundamento debebitur, non quæ in eo fundatur, similitudini. Vnde porrò contra formarum substantialium patronos, ac defensores, concludi potest, virtutem purgantem, non à rei formâ immediatè, sed ab accidente quodam prouenire. Fundatur autem relatio non in alio accidentium genere, quàm vel in quantitate, vel in qualitate. Verùm cum quantitatum nulla sit efficacia, qualem tamen in purgantib. medicamentis experimur, neq; res secundum quantitatem dicantur similes, vel dissimiles, sed æquales, vel inæquales, restat in solo genere qualitatis hanc virtutem quærendam esse: Secundum eam enim res similes vel dissimiles dicuntur.

26. Prout verò in vnaquaq; re diuersæ & dissimiles partes insunt, ex diuersâ elementorum proportione, & mistionis varietate resultantes, quales in lacte & sanguine inesse manifestò conspiciuntur, ita etiam diuersæ in vnâ & eadẽ re oriuntur virtutes, siue, vt Aristoteles quoq; loquitur, naturæ pharmacorum, ac ob id alia vnum tantum, alia etiam plures humores ducunt. Quam rationem Medici imitati, vbi plures humores redundant, plura simplicis naturæ elementa commiscere solent.

27. Facultatem hanc medicamentorum tractricem promouent & iuuant nonnihil, tanquam causæ communes, & minus propriæ, tum natura ipsa partibus insita, tum calor medicamentorum. Natura enim antea humorum mole obruta, vires suas expromere non poterat, neq; ipsa sibi ad liberandum sufficebat, sentiens igitur se quâdam oneris parte demprâ leuari, ipsa quoq; ad expellendum quod noxium est, insurgit, & se operis quasi sociam offert. Ad quod etiam conspirat calor medicamenti, qui cum ex sese vim attrahendi communem, & generalem habeat, propriæ tractrici me-

dicamenti facultati, quasi in subsidium venit. Ipsa tamen medicamenti occulta vis & proprietas, præcipua totius negocij causa est, & tantum facit, ut non quiuis noxius & molestus, sed certus tantum humor prolegetur.

28. Quod hoc modo fit. Medicamentum deuoracum, siue clystere aut balano iniectum, primum à calore natio in actum deducitur: attenuatur enim & ex parte in tenuissimos vapores resoluitur, qui deinde arteriarum beneficio per totum corpus diffunduntur, & ut quiq; in succum sibi familiarem incidunt, eum ad sese pertrahunt. Quam tractionem ipsum medicamentum, in ventriculo, aut intestinis, subsistens, continuat, perpetuo vapores submitte, donec tandem quidquid tractum est, in ipsum ventriculum, & intestina fuerit deriuatum.

29. Trahit verò medicamentum ex eo tantum loco, quò virtus ipsius peruenit, ut magnes ferrum, & succinum paleas, quæ nisi in certâ quadam distantia fuerint, ut trahens ad tractum vim suam diffundere possit, nulla sequetur tractio. Vnde patet in errore versari illos, qui tractum ad trahens perfectionis, quam appetat, gratia, suâ sponte moueri, dicunt, eo modo quo elementa desiderio, & virtute naturali in sua quæq; loca feruntur. Si enim ea hîc ratio esset, tum quò ferri maior esset moles, eò citius ad magnetem moueretur, sicuti maior elementi cuiusq;, siue graue siue leue fuerit, portio, citius & velocius ad suum locum incitatur, quam minor. Deinde, tractio fieret in omni distantia. nam ut elementa ex quâuis distantia, si extra suum locum sint, ad eundem rursus, si nihil impediat, vi innatâ relabuntur: Ita in his, quæ diximus, attrahentibus quoq; fieri necessum esset, cuius contrarium res ipsa docet: mouentur enim tantum cum tractum, ut Auerroës quoq; censuit, fuerit in certâ quadam dispositione è trahente, id est, in tantâ distantia, quâ virtus à trahente diffundi possit.

30. Deductum autem & attractum in ventriculum & intestina humorem, cum natura illarum partium auerfetur, expultrice facultate excitata, ad molestiam excutiendam insurgit, & tum humorem, tum medicamentum ipsum amolitur, & expurgat. Vnde Fallopius, & eum secutus Augenius, meâ quidem sententiâ, rectè censent, hæc medicamenta potius attrahentia, quàm purgantia appellari debere, cum attractionem tantum ex omnibus partibus ad communes vias operetur medicamentum; ipsam verò euacuationem, & expulsionem humorum attractorum procuret natura.

31. Atq; hæc est Hippocratis & Galeni de medicamentis purgantibus sententia, eaq; vera & à plerisque Medicis recepta, & approbata, quam tamen Philosophi clarissimi Iacobus Schegkii, & Thomas Erastus ausi sunt conuellere, & argumentis impugnare, aliam eius loco substituētes: fieri nimirum purgationem à vi quâdam pharmacorum inimicâ, & molestâ venosum genus stimulante, & irritante virtutem expultricem, siue acrimoniâ suâ, siue aliâ quâdam molestiâ donec transuersis suis fibris, incitetur ad excretionem humorum intra se contentorum, ita vt purgationis causa non sit $\epsilon\lambda\chi\iota\varsigma$ id est, tractus pharmaci, vt Galenus censuerat, sed $\omega\sigma\tau\iota\varsigma$ id est, expulsio naturæ.

32. Hanc sententiam vt tueantur, primùm Galeni sententiam multis argumentis impugnant, postea suam etiam pluribus adstruunt. Ex quibus potiora nunc eligemus, & singulorum examen breuiter subiungemus. Demum vtrum supposititia illa sententia acceptari, & meritò iam dudum receptæ opinioni præferri possit, considerabimus.

33. Principio ergo ita arguunt. Quod in nullâ generis cuiusdam specie reperitur, id ne in ipso quidem genere reperiri dicendum est, cum genus nihil aliud sit quàm omnes species simul sumptæ. Purgationem verò ad nullam tractionis

speciem referri posse, factâ specierum enumeratione probat Schegkius commentatiunculâ de purgantib. medic.

34. Verùm respondemus negando Minorem. Ad istam enim tractionis speciem reducimus, quâ trahens quiescit, & mouetur tractum, quam ille impropriad appellat. Quo modo magnes quoq; ferrum, & succinum paleas trahit. Neque ad rem facit quod obijcit Schegkius; Si medicamenta eo modo trahant, quo magnes ferrum, futurum vt utroq; extra corpus posito, medicamentum suum humorem similiter trahat, atq; eò etiam melius quòd ex proximo facilius, quàm ex remoto sit tractio. Etenim modus quidem tractionis idem est, sed eo tamen differunt, quòd principium tractionis utrobiquè non sit æquè perfectum. Nam magnes trahendi vim in actu perfecteq; habet, medicamenta verò in potentia & imperfectè. Tum enim demum trahendi perfectam facultatem habent, cum à calore nostro ex potentia fuerint deducta in actum, quod illis tantum ad perfectionem deesse videbatur, neq; alibi quàm in corpore sit.

35. Deinde aiunt, si attrahunt medicamenta purgantia eo modo, quo partes viventium suum quæq; nutrimentum, necessum est, vt ob fruitionem & sui nutritum trahant. Hoc autem non fieri omni controuersia caret. Nam quæ nutritionis gratia trahunt, omnia viuunt: medicamenta verò ad humores purgandos apparatus, mortua vitaq; expertia corpora sunt.

36. Resp. Par cum superiori error: non enim sequitur, quæ eodem modo trahunt, eodem quoq; sine trahere. Nam & vt erus semen, & vesicula fellis bilem consimili modo trahunt, quibus tamen non nutriuntur. Et, si argumenti huius vlla vis est, magnes quoq; viuet, quod felix faustumq; Cardano fit. Nam & is simili modo, quo corporis partes alimentum, ferrum ad se trahit, quo tamen haud scio an eum quisquam

quam nutrirî credere aufit. Si verò etiam ſcire cupiat Era-
ſtus, quò fine igitur tandem medicamentum purgans trahat,
tum primùm illi respondebimus, ſi prius quò fine magnes
ferum trahat, explicauerit. Nam magnetem nutritionis
gratiâ trahere, nec ipſemet auſus eſt adſerere. De modo i-
gitur hîc qui in omnibus idem eſt, non de fine, quiſquis tan-
dem ſtatuatur, quæſtio eſt.

37. Præterea arguit, ſi alterutri vel humori vel medica-
mento vis purgans deſcribenda ſit, humori potius attribu-
enda fuerit, quàm medicamento: quamuis enim non viuat,
videtur tamen vitæ magis eſſe particeps quàm pharmacum.

38. Reſp. Vis concludendi hîc nulla eſt, quia falſâ vititur
hypotheſi. Nihil enim hinc ſequitur, niſi certum, demon-
ſtratumq; ſit, nihil trahere niſi vel vitam habeat, vel vitæ
quodammodo ſit particeps. Quod omnibus modis inſician-
dum arbitramur, & manifeſtum faciunt exempla magnetis
& ſuccini, quæ etiam vitâ non prædita trahunt tamen.

39. Ad hæc contendunt, ſi trahendo pharmaca opera-
rentur, tum ventri impoſita, vel non operarentur, vel ad ſeſe
magnetis modo humorem pertraherent, quorum neutrum
fieri conſpicitur. Itaq; aliâ quâdam vi quàm tractrice agunt.

40. Reſp. Verum eſt omnia trahentia ad ſeſe trahere,
quantum in iſtis eſt, verùm multa interuenire poſſunt, qui-
bus hic trahendi conatus vel impediatur, vel etiam fruſtre-
tur. Nam (vt de medicamento tantùm dicamus) ipſum qui-
dem ventri impoſitum, & à calore noſtro in actum deductū,
beneficio eiſdem caloris & ſpirituum virtutem quandam
per totum corpus diffundit, quâ obuios, ſibiq; familiares
humores ad ſeſe trahit; ſed primùm ipſa humorum grauitas,
deinde meatuum incommoditas non patitur eos rectè rectâ
ad pharmacum ire. Quocirca per commodiores vias, licet
obliquas, & anfractuofas, in ventriculum & inteſtina, proxi-
ma phar-

ma pharmacoloca, delabitur. Quò cum magnâ copiâ peruenit, & mole suâ, grauitateq; insitâ inualefcit, adiuuante facultate expultrice, ventriculi, & intestinorum, vim medicamenti trahentis eludit, & quâ via maximè patet, nimirum per intestina in aluum præcipitatur. Eo propemodum modo, ac si quispiam nauiculam per fluuium rapidiorem funiculo ad sese in ripam oppositam pertrahere tentet, trahit illum quidem ad sese quantum in ipso est: verùm tandem nauicula, mole ipsâ adiuta, vi fluuij aliorsum, quàm quò trahens volebat, abripitur.

41. Sed ex *ισοπραξείῳ* idem confirmare conantur. Nam medicamentum si validius aliquantò fuerit, non trahet illum tantùm humorem, qui sibi familiaris est; sed obuios quosq; inuadit, atq; in ipsum etiam sanguinem naturæ alioquin gratissimum grassatur, quod non fieret, si certum humorem trahendo medicamentum purgaret. Tùm enim familiari abducto, non amplius sæuaret in reliquos.

42. Resp. Vt medicamentum trahat suum quodq; humorem ex corpore humano felici successu, non tantùm opus est facultate quâdam peculiari traçtrice, sed etiâ certâ quantitate, & mensurâ quam natura ferre possit. Alioquin, cum pleraq; id genus medicamenta malignam quandam, & aduersam naturæ qualitatem habeant, non tantùm trahent familiarem humorem, sed naturam quoq; ipsam destruunt, quâ destructâ, vel saltem insigniter læsâ, humores quilibet promiscuè, cum amplius retineri non possint, diffuunt. Quod etiam in lienteria fieri videmus, quando læsâ concoçtrice & retentrice facultate ventriculi, cibi propemodum tales quales assumpti sunt excernuntur, trahente nullo, sed naturâ tantùm non retinente. Huc accedit quòd medicamentum auxiliarium calorem sibi adiunctum habet, cuius est simpliciter, sicuti proprietatis, hoc tantùm trahere. Supra-

pra igitur debitam mensuram calor iste auctus facit, vt me-
dicamentum quosuis humores trahat, etiam quos peculiaris
proprietas non respiciebat.

43. Simile quid accidit in morbis grauioribus ab initio,
vbi natura humorum malitiã afflicta, partem eius à se amoli-
ri tentat, quia verò ei non dominatur, sæpe accidit vt vincat-
tur, & succumbat, & isto expulsionis conatu vtilia cum inu-
tilibus extrudat. Quòd si iam natura à malignitate humo-
ris intus nati cogi potest ad vtilium, & inutilium expulsionẽ,
quidni idem faciat medicamento malignitate diuexata ac vi-
cta? Humorũ igitur non familiarium expulsio, quæ pro-
pinato medicamento accidit, ad naturam, & medicamento
abundantem calorem: tractio verò familiaris, ad medica-
menti facultatem tractricem referenda est.

44. Demũ velim, inquit Erasius, intelligere, cur si
medicamenta trahendo purgant propter operationem eo-
rundem quidam exsoluantur? alia tormina & vertiginem
patiantur? Verisimile enim est abducto suo humore naturæ
amplius molestiam non facturum.

45. Resp. Id fieri ob qualitatem quandam malignam
quã ipsi naturæ eisq; bonis aduersatur, ac ob id mollioribus
ac delicatioribus potius quàm robustis accidere. Tormina
& vertigo sunt ab humorum illuie, quæ vi medicamenti
circa ventriculum & intestina est congesta. Eã enim tum par-
tes hæ torquentur, tum vapores inde educti spiritibus tum
cerebri tum cordis molesti sunt. Idq; verum esse etiam inde
patet, quòd dicta symptomata non statim ab assumpto me-
dicamento accidant, sed vbi iam trahendi munere probè
functum humores circa partes commemoratas coëgit, ac a-
ceruauit.

46. Postremò dicit Erasius, si substantiarum similitudo
statuatur causa purgationis, haud facile dici potest, cur non
omne

omne simile trahat simile. Neq; cur idem medicamentum interdum duos, interdum tres humores, naturâ distinctos, trahat: absurdum enim est vnam rem totâ substantiâ similem esse, specie ac naturâ totâ discrepantibus rebus.

47. Resp. Quod haud facillè fieri posse hîc censet Erastus, sit facillimè: neq; enim ipsam similitudinem, vt supra declaratum est, huius tractionis causam facimus, sed qualitatem quandam peculiarem, in quâ hæc similitudo fundatur, illa igitur similia tantùm quæ eiusmodi peculiari qualitati innituntur, trahent: alia verò quâcunq; qualitate similia sint, quorum infinita est multitudo, non trahent. Alterum quod attinet paulò in eo iniquior est Erastus: longè enim aliter hîc totam substantiam interpretatur, quàm par erat, & ipsemet facit lib. 2. de propr. medicam. cap. 24. 25. & passim alibi. Ibi enim totam substantiam non pro ipsâ rei formâ & essentiâ veluti hîc videtur, sed pro certâ, certarum vnius substantiæ particularum temperaturâ accipit. Hæc autem cum in vnius substantiæ diuersis partibus diuersa inesse possit, vt ipsemet docet exemplo lactis, rosarum, aloës, rhabarbari, mirum videri non potest, neq; ignorari causa, quare alia pharmaca duos, alia tres humores educant.

48. Atq; hæc sunt tela, quæ in Hippocratis & Galeni sententiam frustra vibrantur, nunc ea argumenta quibus suam sententiam stabiliunt, & naturæ omnem purgandi potentiam, medicamento verò saltem irritandi vim adiudicant, perpendamus.

49. Primò probabile esse aiunt, sic fieri purgationes, quemadmodum sua quotidie aluum excrementa deponere cernimus. At verò hoc fit propter bilis molestantem quidem, attamen consuetam rosionem atq; extersionem. Quocirca valde probabile est, si hîc natura absq; tractione expellere noxium possit, tunc etiam posse, cum à pharmaco excitatur.

50. Resp. Vtut verisimile & probabile sit, tamen neque
necessarium, neq; verum est. Licet enim ars imitetur natu-
ram in suis operibus, sæpe tamen alium, & diuersum modum
operandi habet quàm ipsa natura. Neq; vlla consequentia
est, vel à naturâ ad artem, vel ab arte ad naturam argumenta-
ri, multò minus à modo operandi naturæ, ad ipsam medica-
menti occultam vim vel adstruendam, vel destruendam. A-
lio enim modo artem, alio naturam purgare, euidenter in
dysenteria apparet: Ibi enim vix aliud quidquam, quàm irri-
tatio naturæ molesta est, nihilominus tamen medicamento
opus est, quo ipse humor irritans euacuetur, atq; ita natura
ab irritatione nimia vindicetur. Quod si irritando tantum
medicamentum purgaret, non feret, sed plus molestiæ ad-
ferretur naturæ.

51. Deinde inquirunt probabile est, eodem modo fieri
per inferiora quo per superiora excretiones, cum veteres nõ
rarius per vomitum, quàm per alui turbationem soliti sint
corpus euacuare. Vomitus autem tantum fit molestâ quâdã
corrosione orificij superioris ventriculi, & sæpe etiam ab il-
lis, quæ citra controuersiam vim trahendi nullam habent, vt
sunt oleum & aqua mista, item decoctum raphani, & ane-
thi cum aceto. Multi etiam cum vehuntur, vel curru vel na-
ui, vehementer ad vomendum incitantur. Ergo simili ratio-
ne per inferiora quoq; purgatio fiet, nimirum factâ tantum
irritatione, & exhibitâ naturæ stimulando molestiâ.

52. Resp. Primò non necessum est, vt quo modo vna
quæpiam pars corporis sese ab excrementis molestantibus
liberat, eadem sese liberent & reliquæ. Deinde si maximè
euacuationis similitudinem admittamus, tamen hîc non si-
milia cum similibus, sed diuersa cum diuersis comparantur.
Nam vtrobq; non vnica, sed duplex operatio conspicitur,
quia & in purgantibus, & in vomitorijs ita dictis, primùm

C

humor

humor colligitur & coaceruatur, deinde excluditur. Collectionem & coaceruationem utrobique statuimus fieri à virtute tractrice medicamenti, ad eam partem, quò medicamentum commodissimè trahere potest: exclusionem verò ab ipsâ naturâ irritatâ & molestatâ vi humoris affluentis. Si iam prima operatio cum prima, secunda cum secundâ conferatur, eodem modo omnia fient. Prima enim de qua hîc quærimus utrobique attractione medicamenti, secunda de quâ non quærimus naturæ vi perficitur.

53. Sanè quidem nulla hîc est dissimilitudo ratione ipsius medicamenti: vtrumq; enim tam purgans quam vomitorium trahendi vim habet, vnde vnde & quâ vi tandè excludatur: medicamentum enim siue purgans, siue vomitorium fuerit, humorem ad ea loca, ad quæ commodissimè potest, pertrahit: natura verò adflicta & molestata humorum appulsu, eundem expellit, quâ proximè viâ patet, siue per superna siue per inferna: hoc enim non ad medicamenti, sed ad naturæ operationem tantum pertinet. Quæ verò exempla vomitoriorum allata sunt, ipsam exclusionem humorum promouere possunt, non collectionem, ac proinde cum purgantibus, de quarum facultate hîc disputamus, perperam conferuntur. Possunt verò, si adeò lubet comparationem instituere, cum illis purgantibus conferri, quæ tantum aluum emolliunt, & lubricant, non cum illis, quæ certum quendam humorem educunt, de quibus hoc loco quærimus. Non igitur quod oleum & aqua mista faciunt in vomendo, idem quoq; necessum est agaricum & Colocyntidem facere in purgando: hæc enim humorem vndiquaq; attrahunt: illa saltem attractum vel alio modo coaceruatum, stimulando, & molestando naturam, excludunt. Diuersa igitur cum diuersis, non similia cum similibus comparantur.

54. Præterea medicamentum, aiunt, in cadauere etiam
concal-

concalfactum, & de potentiâ in actum traductum non trahit ad sese humorem familiarem, quod tamen fieri necessum esset, si vi trahendi medicamenta purgantia pollerent.

55. Resp. Primùm vehementer ambigo quemquam fuisse qui hoc expertus sit, vt nos de effectu ipso certiores reddere posset. Nam neq; commodè in ventriculum iniici potest, neq; facile est ita contemperare calorem vt idem, quod natius possit. Deinde, non tantùm opus est calore, qui medicamentum attenuet & resoluat, sed etiam spiritu qui vim eius per totum corpus diffundat, & meatibus vndiquaq; patentibus. Quæ cum in cadauere non reperiuntur, mirum non est medicamentum suâ operatione frustrari.

56. Demum statuit Erasius, secundum Galenicam sententiam rationem reddi non posse, quare in sanis purgationes sint difficiliore: suam verò sententiam sequentibus id esse facile: ideò enim accidere inquit, quia pharmaca naturam excitant, vellicant, stimulant. Cum nihil habet quod expellat, vel expellere possit, pessimè adficitur, nec eluere aut excutere mordens medicamentum ita facile potest.

57. Resp. Secundum Galeni sententiam melius eius rei quàm secundum Erasii, ratio reddi potest. Nam propterea sanis purgationes sunt difficiliore, quia si prauis humores non adsunt, quibus cum præcipuè familiaritatem habet, bonos eiusdem generis inuadit, quos quia natura retinere adnititur, pugnam quasi cum medicamento init, altero retinere, altero abducere cupiente idem. Pravis verò humores si adsuerint, tum medicamentum naturam non tantùm aduersam non habet, sed etiam adminiculantem. Ratio verò quam adducit Erasius tam frigida est, vt ipsam irritationem suspectam facere, & Galenicæ sententiæ patrocinari videatur. Mirum enim profectò sit, si natura valida & robusta mordicans medicamentum solùm difficulter: oppressa verò

pravis humoribus, tum ipsum medicamentum, tum vnâ cum illo noxios humores facilè possit expellere. Quæ enim vis duobus simul expellendis sufficit, eam vni horum expellendo non sufficere, ab omni ratione alienum est.

58. Quæ præterea Erastus adducit de cibo largius sumpto, de carne ouillâ, de doloribus, de odoribus, quibus nonnulli purgari dicantur: & similiter, quòd quidam etiam ad mentionem medicamentorum nauseant, & purgentur, leuiora sunt quàm vt examinari mereantur. Si enim ista omnia eodem modo quo pharmaca purgarent, æquè in omnibus eam vim obtinerent, quod fieri nemo sanus adseueret. Alioquin benè ageretur cum colicis, qui cum ingentes etiam cruciatus sustineant, tantùm tamen abest, vt pro quantitate doloris illis aluus soluatur, vt etiam de obstructione eiusdem vehementer conquerantur. Et vulgo etiam notum est cibos largius sumptos frequentius morbos excitare, & corpori noxam adferre quàm quod idipsum ab excrementis liberent. Quocirca si quid ex dictis causis interdum euacuat, id fit vel propterea, quod corpus excrementis onerent, quæ postmodum natura cogatur eijcere, vel ob quorundam certam, & peculiarem temperamenti proprietatem, non ob vim purgatricem. Quemadmodum ille quem Scaliger exercitat. 344. sect. 6. audito phormingis sono vrinam illicò facere coactum fuisse adfirmat.

59. Satis puto hæcenus planum factum esse, quàm neq; Galenica sententia rationibus eueri potuerit, neq; adstrui propria. Quod licet ad veritatis confirmationem sufficere posse videatur, tamen quò magis illa elucescat, aduersa sententia etiam argumentis, eius absurditatem demonstrantibus, impugnanda erit.

60. Principiò igitur Achilleum illud esse arbitramur, neq; à quoquam hæcenus solutum, quòd medicamenta ele-
ctiue

Atiuè purgantia certum quemdam & peculiarem humorem educant, non promiscuè & indifferenter quoslibet. Vt enim Galenus & experientia multis iam seculis comprobauit, iëtericum parum iuues propinatis hydragogis, sicuti neq; hydropicum sumptis cholagogis: Contrario verò modo si operemur, & iëterico cholagoga, hydropico hydragoga impereamus, manifestum iuuamentum percipimus, adeò etiam vt Galenus gloriatur, se quamplurimos regio morbo laborantes vnica potione, flauâ bile detactâ, liberasse. Quod fieri nullo modo posset, si solâ irritatione siue mordicatione molestâ purgatio efficeretur, quia irritatâ naturâ sine discrimine quidquid molestum esset, expelleret.

61. Negare planè, quod diximus, Eraustus non potest: proinde non inficior, inquit, pharmaca pro suæ naturæ diuersitate diuersè virtutem expultricem incitare ac vellicare. Interim constanter, quod certissima experientia me verum esse docuit, adsero, pharmacum quodlibet, humores quosuis interdû purgare. Alibi enim docet, licet satis inconstanter, medicamentum promiscuè quemuis humorem ex corpore educere, modò ad expulsionem sit idoneus. Quibus verbis videtur Galenicam sententiam confirmare, & suam suspectam reddere. Si enim ea medicamenti purgantis natura est, vt quemlibet humorem ducat, id omni & semper inerit, non interdum vt hîc loquitur: quæ enim à naturâ insunt semper, & omni insunt.

62. Sed quis non videt hæc manifestè inter sese pugnare? Si enim verum est quod hîc dicit, interdum quemlibet humorem duci, sequitur plerumq; & sæpius, non quemlibet, sed peculiarem duci, quod irritando, vt diximus, fieri nullo modo potest. Nam quòd dicit pharmaca ob temperaturæ diuersitatem diuersè virtutem expultricem vellicare, tam obscurum est, vt Oedipo enarratore opus habeat: & quâ vi tandem

tandem fiat à nemine puto intelligi posse. Nisi quis tam a-
mens sit, vt credat pharmacum quasi per occultas vias sese
ad naturam recipere, & latenter quasi per posticum introire,
eamq; vel admonere, vel rogare, vt in illius gratiam pecul-
arem humorem expellat, non eum quem natura ipsa abiectu-
ra fuisset, & quò forte plus molestabatur. Irritata enim na-
tura, siquidem sola euacuationis caussa sit, expellet id, quod
maximè noxium, & molestum est, in quocunq; tandem gene-
re fuerit: expultrix enim illius facultas non vni tantum hu-
mori noxio, sed omnibus omninò ex æquo expellendis desti-
nata est.

63. Deinde si medicamenta, quatenus naturam irritant,
euacuant, omnia irritantia corpus euacuabunt: à quatenus
ipsum enim ad de omni semper est valida consequentia. Ne-
mini tamen hæcenus, et si valde laborarit Erasius, id ipsum
persuadere potuit. Immò quotidiana bilis in intestina ef-
fusio quotidie totum corpus purgaret: primarum enim ve-
narum stimulatione purgationem fieri censuit. Quòd si ve-
rò huius irritationem lenem, & nimis debilem aiat, quàm vt
isti muneri sufficiat, dysenteriam illi considerandam propo-
nimus, vbi etiam nimia est, neq; tamen id præstare potest
quod irritationi adscribit Erasius. Medicamenta verò pur-
gantia propinata, etiam quorum irritationem nullam senti-
mus dysentericorum corpora vtiliter purgant, quidquid
Fuchsius sentiat, & simul magno ægrotantium commodo,
ipsum humorem mordicantem educunt. Vnde necessum
est id ipsum irritatione, quæ etiam ante sumptum medica-
mentum nimia erat, fieri non posse, sed aliâ quâdam vi, quam
nos tractricem dicimus.

64. Præterea argumentum ab ictericiâ sumptum quo v-
titur, commodè in ipsum retorqueri potest. Nam icterico-
rum excretiones ob id segniores, nec immeritò, statuit,
quòd

quòd bile in vniuersum corpus abductâ, intestina suo stimulo destituantur. Etenim secundum Erasmi sententiam, hoc minus consentaneum videbatur: sequeretur enim potius frequentiores & copiosiores inde sequi excretiones. Antea enim bilis intestina tantum, in quâ naturaliter, paulatim, & modicè effundebatur, ad excretionem incitare poterat, atq; ita naturales etiam & modicas efficere purgationes. Vbi verò in totum corpus diffusa, & supra modum aucta est, omnes totius corporis partes irritando ad excretionem impellere poterit, & quidem secundum quantitatis rationem vehementius, & quodammodo immoderatus. Atque ita vndiquaq; concitatis humoribus aluum superfluâ, & nimiâ etiam humorum copiâ proluet. Quod ipsum tamen cum irritatio ista non præstet, medicamentum verò probè efficiat, & simul etiam ipsum mordicantem succum educat, verisimile est, id ipsum longè aliâ facultate fieri quàm irritatrice: nimirum eâ, quam nos iam sæpe tractricem diximus.

65. Ad hæc, si irritatâ naturâ sola euacuationis causa est, quare virtus cerebri expultrix irritata à medicamento, non potius per nares, & palatum, tamquam consueta purgationis vias, sua excrementa exturbat, quàm in aluum propellit? Probabile enim est vnamquamq; partem potius per consuetos, eosq; breuios, nec impeditos meatus sua excrementa deposituram esse, quàm per insuetos, eosq; longiores, anfractuosos, & minus commodos.

66. Addo etiam, si medicamentum irritando & molestando tantum purgaret, tum etiam pestis venena, res fœtidæ, & omnes omninò causæ morbificæ, quia magnâ molestiâ naturam adficiunt, purgarent.

67. Tum quòd medicamentum quodq; validiorem irritandi vim & maiorem acrimoniam haberet, eò vehementius purgaret. Verbi gratia, piper, raphanus rusticus, Arum, si-

napi, & alia quamplurima vnico scrupulo plus efficerent, quam radix Mechoacannæ aliquot vncijs: caret enim omni acrimoniâ, & propemodum *um* est. Verùm radix Mechoacannæ drachmæ pondere propinata potenter euacuat, & quidem tantùm, quantum reliquorum decuplum, aut eò maius pondus nunquam possit educere.

68. Etiam hoc quæri potest, quare in initijs morborum turgente materia opus sit adsumpto medicamento. Irritatione sanè natura non indiget: nam ipsa satis ab humorum illuie non tantùm irritata prurit, sed etiam humorem à sese propellit, & quoquo versum commouet. Medicamentum tamen adsumptum benefacit, quod quâ aliâ vi, quàm tractrice, quâ humorem ita commotum, ad sese pertrahat, & è corpore exturbet, ne in partem aliquam nobilem impetum faciat, efficere possit, non apparet.

69. Demùm considerare illos accurateq; perpendere admodum velim, quid irritando medicamenta, vtiliter tamen propinata, in Erysipelate cruris commodi adferre possint. Non enim verisimile est, humorem iam parti adfutum regredi, seseq; iterum in venas recipere, atq; inde porrò per intestina in aluum delabi, tum ob humoris grauitatem, tum quòd natura non soleat à partibus exterioribus, eisq; ignobilioribus, ad interiores, easq; nobiliores; sed contra ab interioribus & nobilioribus, ad exteriores & ignobiliores sua excrementa deponere.

70. Verùm si hîc obijciant, non eos humores, qui iam adfluxerunt, & in partem impacti sunt, sed qui adhuc influere possunt, & causa morbi sunt antecedens, euacuari, similiter aqua hæret. Nam natura, si antiquum obtineat, quòd via commodior ducit, sua excrementa deponit. Atqui ipsa sibi ad crurum viam patefecit, istuc iam aliquâ parte ablegatâ, eò igitur perget porrò, quidquid molestum est, deponere.

Ratio

Ratio enim nulla patet, quare ab incepto itinere natura deflexura, & aliò traductura sit humorem, nisi à medicamento trahente is in diuersum abripiatur, contra naturæ propensionem.

71. Sed vt tandem concludamus, ipsa horum auctorum titubatio, & inconstantia, quâ, rei euidentiâ conuicti, veritati videntur patrocinari, facit, vt minus illorum, magis verò Hippocraticæ sententiæ adstipulandum existimemus. Erasius enim lib. de propr. medicam. cap. 60. interim verò, inquit, cum hæc dico, non illud sentio, quæcumq; purgant hac ratione solùm purgare, quia acrimoniâ suâ primarum venarum ora stimulent ac mordicent. Scio enim alia quoque quædam purgare per occultam proprietatem.

72. Schegkius longè etiam apertius videtur veritatem confiteri. Nam commentatiunculâ de medicam. purgantib. distinguuntur, inquit, purgantia differentijs purgandorum humorum: suos enim humores quodlibet pharmacum propriè purgat: sed potest etiam alium humorem purgare: verùm non tam propriè, sed quasi per accidens. Vt verbi gratia, rhabbarum propriè purgat bilem flauam, & pituitam, sed minus propriè, id est, duntaxat irritando & stimulando vasa, & aperiendo obstructions, viasq; patefaciendo. Et paullò post: quando humor melancholicus purgandus est, pharmaca sunt adhibenda, quæ singulari proprietate hoc efficere possunt, &c.

73. Et admittit hîc Schegkius medicamentorum singularem proprietatem, & ex reliquis elicitur: nam si irritando & stimulando minus propriè, & per accidens medicamenta purgent, necessum est, vt aliâ quâdam facultate id magis propriè, & per se efficiant. Quæ cum neq; ab illis, neque à quoquam alio hætenus prodita sit, neq; ipsimet, vt apparet, satis suæ confidant irritatrici facultati, meritò Hippocraticam

cam sententiam de vi tractrice retinendam, amplexandam,
& omnibus modis defendendam existimamus.

COROLLARIA.

I.

An medicamentum purgans magis respiciat humorem syncerum an corruptum.

II.

An in purgantibus medicamentis reperiantur, quæ peculiarem humorem ex certâ quâdam parte, puta capite, pedibus, articulis, renibus, tantum expurgent. N.


III.

An medicamentis purgantibus rectè quædam misceantur, partibus quibusdam familiaria, quæ vim eorum ad ipsas deducant. A.

IIII.

An verum sit quod Erasus scribit, temperaturas Epatis in diuersis hominibus, non inæqualiter temperatis, plus inter se distare quam temperaturam Ventriculi & Epatis in eodem homine. N.




M. SAMVELI SATLERO,
amicorum suorum oculo.

Armorum segetes & pila minantia pilis,
Collisasq; acies, per vulnera funera, & arua
Arua super miserum infletas viduata phalanges
Vidimus, in patrijs nec frustra luximus aruis.

Hic telum hic clypeus iacet, & cum casside mucro,
Cum mucrone viri strati mucrone viritim.

Vos ego supremâ Charites nunc alloquor horâ
Palantesq; nouem nymphæ, atq; ô pallida Pallas
Quando minax rigidus iactans truculentus, amarus
Qui tumet indomitum qui formidabile feruet
Miles adest, sacrum ne detrectate liquorem;
O profugæ quando hæc vestri sunt vltima fontis
Exsuccæ captanda siti libamina. Verùm
Omnia tu in melius mitis Deus omina vertas.

Quis nam inter sonitus, inter tonitralia summi
Æmula tela Iouis vel conferruminet vnum
Versiculum, aut merito te carmine dulce meum cor
Mactet, & in laudes se effundat vena, Magister?
Tu Charitum soboles tu lacte Lubentiæ es altus,
Et tibi candiditas, pietas præcordia circum est,
Seminium hoc patris (quis nam ille vir?) æmula virtus
Est patris, in gnatum magni natura parentis

Transit

Transit & ipse senex rursus iuuenescit in hoc, qui
Tam ingenio linguâq; catus quàm luce parentis.

Lactea pimplæi saturant te flumina fontis
Ambrosiæq; latex, quem quadrupedante caballo
Pegasus elicuit, te pulpita nostra viderunt
Materiem cœli atq; elementa resolvere mista,
Quando alluceret lucem Leuchtenius ingens.

Hac luce, hoc duce, nunc iterum capis æthera mente,
Caniciemq; Coi affectas dùm genûa virescunt
Mente senex viridiq; & crudo robore vix vir.

Vos quibus inuidiæ symptoma ignobile pungit
Squallentes nervos quibus est tam rancida fibra
Pectoris, vt quo non ipsi penetrare potestis
Inuideatis ei, cui annis prudentia maior,

Qui proavos sapit & cui bant cano canicie mens
Pollet, & incoctus diuino prorsus honesto est.

Pharmaca quâ ventris ducant virtute saburram,
Haurite ex illo, quæ vis occulta latensq;
Congeneres toto repetit de corpore succos,
Atq; redundantem venis emulget amurcam.

Conspicor intereâ fertum tibi pangere Musas
Cincturasq; breui Phœbeâ tempora Lauru.

Ioannes Frida.



venit in bo
quam luce pare
at te flamma su
altripedante ca
nostra viderunt
at a resoluere misti
euchtenius ingen
sterum capis ath
m genia direfca
crudo robore dice
e symptoma ignobila
bus est tam rancida
si penetrare potesta
prudentia maior,
si hanc esno canicie
no prorsus honesto es
entia ducant virtuti
via occulta latenq;
it de corpore succos
genia emulget amara
a fertur tibi pangere
Phabea tempora Laura

Sente,

ait

ad

ess


3

ram,


Nu

Ictes Frida









DISPENSATIONUM MEDICARUM

TOM III

Vol XIV

S

12022







